Diſſertatio Medica

INAUGURALIS,

DE

MERCURIO:

QUAM,

Annuente ſummo Numine,

Ex auctoritate reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI WISHART S. T. D.

Academiæ EDINBURGENÆ *Præfecti;*

NEC NON,

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI *conſenſu,* & *nobiliſſimæ* FACULTATIS MEDICÆ, *Decreto;*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summiſque in Medicina honoribus ac privilegiis ritè & legitimè conſequendis,

Eruditorum examini ſubjicit

ABRAHAMUS SWAINE *Anglo-Britannus, A. & R.*

Ad Diem 5 Auguſti, horâ locoque ſolitis.

EDINBURGI:

Apud T. W. & T. RUDDIMANNOS, M.DCC.XLII.

23

Ampliſſimo ſpectatiſſimoque Viro,

Richardo Gilpin Sawrey,

ARMIGERO,

Pacis Juſtitiæque in comitatu Eboracenſi Curatori prudentiſſimo,

Ob ſummam vitæ probitatem juxta ac morum urbanitatem conſpicuo:

Has ſtudiorum ſuorum primitias,

eâ quâ par eſt obſervantiâ,

D. D. D.

ABRAHAMUS SWAINE.

caverit; non mihi, ſed *clariſſimis præceptoribus*, (quibus id me debere non inficior) acceptum referat.

Mercurius in materia medica eminet.

I. Inter innumera corpora naturalia, ſive in hujus telluris ſuperficie ſparſim obvia, ſive in intimis ejus penetralibus recondita, quod, cum texturæ ſimplicitate, tum dotium varietate, mercurio præſtat, datur nullum. Vaſtum *materiæ medicæ* pelagus medicamen potentius vix nobis ſuppeditare poteſt. Ex mercurio, prolem remediorum ſanè Herculeam chemicorum induſtria genuit: quinimò, integram medicamentorum ſylvam percurrendo, nullum aliud (antimonio, quod agmen numeroſius præbet, excepto) inveniendum eſt. Quoniam verò mercurius crudus nonnunquam in corpus ingeritur, ejuſque præparata officinis non ignota, & hodiernâ praxi ſunt uſitatiſſima, ad proprias illius vires indagandas ſumma adhibenda eſt cura. Quod priuſquam aggrediamur, *argenti vivi hiſtoriam*, quam breviſſimè poſſumus, perſtringere conabimur.

Triplex.

II. Mercurius vulgò habetur triplex, *mineralis*, *cœleſtis*, & *chemicus*. Quod ad *mineralem* attinet, is è terræ viſceribus eruitur, de quo hìc agimus. Mercurium *cœleſtem* aſtronomis relinquimus. De mercurio autem *philoſophorum*, vel *corporum*, ut loquuntur, quem ſcil. ex omni corporum genere elicere ſatagunt alchemiſtæ, quid dicam neſcio: tanta hìc obſcuritas & ambiguitas occurrit, tantaque inter auctores diſcrepantia, ut non noſtrum ſit tantas componere lites, præſertim cùm ad rem præſentem quæſtio hæc nihil attineat.

Ejus Nomina.

III. Diverſa illi ſunt nomina, *argentum vivum*, aut *currens*, ob fluiditatem & colorem, dicitur. Ὑδράργυρος à Græcis appellatur, unde Latinis etiam *hydrargyrus* vel *hydrargyrum*, quaſi argentum aquoſum ſeu liquidum. Ariſtoteli Ἄργυρον κινητὸν, ſive argentum mobile; Theophraſto Ἄργυρον χυτὸν, ſeu argentum fuſum; *Æterni liquoris vomica* Plinio; Helmontio *aquæ filius*; Arabicè *zaibar* aut *zaibach*; Barbaris *azoth*; nonnullis *Proteus* nuncupatur, propterea quod mille induat formas & metamorphoſes. Aliis cognomine *ſervi fugitivi* circumfertur, quia ignem expertus ſemper in ſublime pellitur. *Vertumnus Deus* nonnunquam audit, quod ſubinde vertat formam. *Mercurii* etiam vocabulo inſignitur, ſive *Hermes* vocatur aut Ἑρμῆς; hoc nomen, vel ob mobilitatem mercurii

curii ethnicorum Dei æmulam, vel quoniam à Mercurio planeta cœleſti illum regi exiſtimabatur, ei inditur. Noſtratibus *crude Mercury* aut *Quickſilver* appellatur.

IV. Mercurius, ſive argentum vivum purum, eſt fluidum minerale, metallicum, homogeneum, valdè ponderoſum, planè inſipidum, tactui frigidum, manus non madefaciens, totum ad ignem volatile, argenteo colore tinctum, cui omnia præter aurum innatant. Deſcriptio.

V. Mercurius crudus, ſive argentum vivum offic. vel *nativum* & *foſſile*, vel *factitium*. Mercurius foſſilis duplex, nativus & factitius.

Nativum & *foſſile* eſt, quando è propriis venis, & latebris currens extrahitur. *Factitium* autem ex lapidibus variis, caloris ope eductum, dicitur. Diſcrimen hoc, quoad medicinam, penitùs ſupervacaneum non immeritò habetur; nam, ſi modò ritè ſuis ſordibus liberetur, ex hocne an ex illo lapide eliciatur, aut formâ fluente colligatur, parum intereſt. Nec melioris notæ propè auri vel argenti fodinas repertum, aut in iis natum. Mercurius fluidus è terræ gremio erutus, *virgo* ſive *virgineus*, audit: ab heterogeneis verò ignis auxilio ſegregatus, *vulgaris* aut *communis* appellari ſolet. Virgineus. Vulgaris.

VI. Tres potiſſimùm Europæ regiones, *Hungaria* nempe, *Hiſpania*, & *Italia* ad forum Julii, majori; *Germania* verò, *Polonia*, *Gallia*, aliique loci, minori gaudent mercurii copiâ. *America* circa montem *Potoſi* eo abundat, rariùs tamen inde in Europam (quia ad aurum argentumque in *Hiſpania Peruana* à ſuis recrementis, repurganda tanta ejus vis abſumi conſuevit) advehitur. Fodinæ mercuriales Hungaricæ magnam ejus quantitatem per Britanniam, artificibus diverſis, uſuique medico ſuppeditant: cujus ducentæ plus minus libræ, coriis ovilibus involutæ (ut commodiùs tranſportentur) in doliis reconduntur. Ejus locus natalis.

VII. Matrices, in quibus nunc minori, nunc majori copiâ latet, colore, conſiſtentiâ, & qualitate, variæ. In Hungaria, è minera plerumque dura ac lapidea; in Italia, ex lapidibus globoſis & molli terra; in Hiſpaniis, ex lapidibus duriſſimis maculatis, non niſi ope pulveris pyrii diffringendis, extrahitur. In Hungaria æquè ac in Italia, lapides duri, coloris inſtar croci metallorum mercurium dant. In Hiſpania Peruana ex molli terra rubeſcente; in diverſis locis fruſtillatim ſpecie cinnabaris comparatur: hinc & cinnabaris Matrices diverſæ.

minera

minera hydrargyri eſſe propria creditur. Ex ſaxorum crenis guttatim interdum effluit; è terra quoque curſu rapido ſcaturire nonnunquam obſervatur: hoc dudum in fodinis Italicis contigiſſe D. Brown * oculatus teſtis. E terra primò inſtar fili tenuioris, & poſtea craſſioris, veluti ex aquarum ſcaturigine per dierum trium aut quatuor ſpatium, donec tandem ceſſabat, profluere viſum eſt.

VIII. Etiamſi hydrargyrum currens aliquando effodiatur, tamen propter mirandam fluiditatem in cavernulas rimaſque terræ & lapidum ſerpit, nec ſine labore colligi poteſt. Vix in imis montium penetralibus latere poteſt, quin ſe prodat; lapidibus enim albis, ſed valdè levibus, inſtar calcis circumdatum vulgò reperitur. Herbæ quæ in his montibus creſcunt, cæteris magis vernant & majores videntur: arbores verò, quæ in iiſdem montibus prope venas mercuriales proveniunt, rariſſimè flores vel fructus ferunt; ipſaque earum folia tardiùs proveniunt. Ejus efluvia nôrunt metallurgi, quoties menſe Aprili vel Maio, cum prima luce, reliquo cœlo ſereno, nebulas in vertice montium emergentes, & inſtar lanæ vel goſſypii, cum craſſus hic vapor juxta terræ ſuperficiem ob gravitatem ſuam vix aſſurgat, ſupra herboſum ceſpitem pendulas (metallorum fontiumque indices) aſpiciunt, argenti vivi venas ſubeſſe conjicientes: in hiſce locis tum hydrargyrum inveſtigant, præſertim in illis montium plagis, quæ ſeptentrionem ſpectant, quia venas ibidem ditiores judicant. Haud rarò multum aquæ circa has fodinas offendunt †.

Cinnabaris nativæ deſcriptio.

IX. Minera mercurii puriſſima *cinnabaris nativa* ſeu *foſſilis*, eſt ſubſtantia friabilis, ponderoſa, rubicunda, quæ in pulverem converſa colorem lætè coccineum exhibet: hydrargyro turget, quod per deſtillationem cum ſcobe ferri inde educitur. Sed quia cinnabaris nativa pretio majori quàm hydrargyrum venditur, rariùs fit.

Compoſitio.

Cinnabaris eſt Μινίον vel Ἀμμὶον Dioſcoridis, quod ex ſulphure & mercurio (eodem modo, ope caloris ſubterranei, uti volunt autores, ac cinnabaris factitia foco culinari conficitur) arctiùs unitis conflatur. Verùm cinnabari nativæ, aliquid præter mercurium & ſulphur ineſſe, effectus proprii poſteà memorandi nobis monſtrare videntur.

* Abridg. Philoſoph. Tranſact. Vol. 2. p. 579. † Goris mercur. triumph. p. 3.

Cinna-

Cinnabaris nativa, vel lapidibus permiſta eſt, vel pura. Quæ lapidibus commiſcetur, in lapide ſciſſili, cinereo, bractearum modo concreta quandoque invenitur, necnon aliàs in lapide metallico candidiſſimo. Cinnabaris nativa colore plurimùm differt. N. Grew * hujus exempla coloris prorſus coccinei, purpurei; imo nigri, atque nigri ſplendentis purpuraſcentis, profert. Puri minii, ſeu cinnabaris nativæ ſpecies binæ apud Wormium † memorantur. Una rubicunda inſtar argenti rubri, rudis, ponderoſa, colore eleganter rubicundo tingens, in *Haſſia* prope *Marpurgum* reperta: altera nigrior, jecoris colore, etiam ponderoſa, ſchiſtum aut hæmatitidem referens, cui argenti vivi micæ aut guttulæ incluſæ quaſi apparent, duriore affrictu rubicundo tingens colore. Cinnabaris mercurio ſcatens, & ſulphure præſtantiori dives, è mineris auro vel argento vicinis optima cenſetur: hinc uſui medico præfertur Hungarica **. Species.

X. Mercurius à ſuis inquinamentis diverſimodè ſeparatur; ut, trituratione, cribratione, lotu cum aqua, deſtillatione ††. Mercurii a fæcibus repurgatio.

XI. Argentum vivum nonnunquam avaris & fraudulentis lucri turpis causâ admixtione plumbi, biſmuthi, aut ſtanni adulteratum venditur; idcirco non ab re ejus notas puritatis expendere judicamus, & regulas tradere, quibus fraus, egregio digna vituperio, detegitur. Omnino enim, ne injurias ab adhærentibus corpus ferat, ad uſum medicum purgari debet. Corrupti per heterogenea ſigna, depuratio.

Bonum cenſetur quum admodum mobile eſt, & facillimè in globulos rotundos, non caudatos, digiti attactu, diffluit: quò itaque fluidius, eò melius. Nam ſi metallica peregrina ei admiſceantur, minus fluidum evadit, atque manibus tractatum digitis hærere obnoxium eſt. Quoties colore argenteo ſplendidiore, non plumbeo potitur, ſignum puritatis adeſt. Sinceræ bonitatis nota hæc apud auctores non parùm celebratur, ſi argenti vivi portio quædam carbonibus imponatur vivis, & totum ſine ſtrepitu in fumos reſolvatur; vel ſi in cochleari argenteo evaporationi ſuper prunis exponatur, maculam flavam aut albicantem, non nigram aut fuſcam relinquat **. Diſſipato mercurio ſecundum diverſos co-

* Muſæum Regal. Societat. p. 335. † Muſæum Wormianum, p. 126, 127.
** Dalei pharmacolog. edit. 4to. 1737, p. 31. Goris mercur. triumphat. p. 65.
†† Vide Philoſoph. Tranſact. Lowthorp's Abridg. Vol. 2. p. 578. ** Dalei pharmacolog. p. 32.

lores quibus tingitur cochleare, varias deducunt concluſiones. Si maculâ flaveſcente ſubviridi poſt exhalationem imprimatur argentum, mercurius indolis aureæ cenſetur; ſi liveſcente argenteæ; ſi fulvâ cupreæ; ſi candidâ & albâ ſtanneæ; ſi cinereâ plumbi; ſi è flavo fuſcâ ferreæ eſſe naturæ judicant *. Si hydrargyrum cum aceto & ſale marino in mortario marmoreo probè & diu ſubigatur, hiſque ſaporem peregrinum non impertiat, id neque plumbo nec biſmutho vitiatum certo certiùs pronunciamus. Si enim his conſpurcaretur, menſtruo ſolverentur metallica, ſicque in lucem impoſtura ſe proderet. Quando mercurius ſordibus tantùm inquinatur terrenis, nil aliud, quam quòd per corium vulgare exprimatur, requiritur. Ex compreſſione per alutæ meatus ſtillatim tranſudabit, relictâ prorſus terreſtri fæce. Veruntamen mercurius plumbo, ſtanno, biſmuthove contaminatus, per corium quàm ſæpiſſimè tranſmiſſus nunquam fiet depuratior: hæc enim metallica, intimè ei conjuncta, per pellis poros ſimul tranſeunt: ergo fucus hoc modo cognoſci non poteſt. Cum calce viva, cineribus clavellatis, aut chalybis limaturâ, per retortam, cui excipulum aquâ ad dimidium ferè repletum ritè accommodatur, deſtillatus, optimè depuratur. Suppoſito lento igne, nubeculæ denſæ citò aſcendere videntur, donec tota mercurii quantitas, ſi modo ſincerus fuerit, excipulo condenſatur; ſi è contrariò, heterogeneis fuerit commixtus, hæc relicta manebunt in retorta. Si poſtremò, mercurii portio quædam ſtaterâ hydroſtaticâ exploretur, & alterâ portione puriſſimi mercurii ejuſdem molis gravior eſſe comperiatur, tunc aurum ei admixtum concludere fas erit.

An metallum mercurius?

XII. Mercurium corpus foſſile eſſe apud omnes in confeſſo eſt, at cuinam foſſilium claſſi propriè accenſeri debeat, auctores inter ſe non prorſus conſentiunt, alii inter metalla, alii ſemi-metalla illud referentes, & interdum *liquidum metallum* nominantes. Inter metalla perperam certè, niſi ob ingens ſuum pondus, collocatur, neque enim ullâ aliâ eorum proprietate gaudet. Metalla ſex propriè ſic dicta, mineralia ponderoſiſſima, dura, fuſilia, quæ malleo in omnem plagam extendi & dilatari poſſunt, ſemper definiuntur: his verò ſeptimum, idque argentum vivum ſeu mercurium, vel ut ſeptem metalla in terris, æquè ac ſeptem planetæ in cœlis

* Goris mercur. triumphat. p. 64.

habe-

haberentur; vel ob inſignem ejus gravitatem; vel propter unionem metallis pleriſque facillimam; vel tandem præjudicatâ opinine, quod ſcilicet omnium metallorum baſis ſit, nonnullis adjungere placuit. Quatenus fluidum inſipidum, inodorum, homogeneum, ac ad ignem totum volatile, eatenùs ad aquæ indolem (etſi ne guttula quidem aquæ elementaris naturaliter ipſi inſit) propiùs accedere videri poſſit. Attamen, ad quodnam rerum naturalium genus referendus ſit, haud multi momenti eſt, ſi modo ejus vires & indolem probè perſpectas habeamus.

XIII. His de mercurii hiſtoria præmiſſis, ejus characteres proximè recenſere liceat. Ejus proprietates.

1. Odore, ſaporeque, quamvis aquæ infuſus aut in ea decoctus ſit, penitùs deſtituitur.

2. Gravitate omnibus, quotquot ſunt, corporibus auro excepto, præpollet. Mercurii enim pondus ſpecificum reſpectu aquæ eſt ut 14,019 ad 1000, quatuor decies aquâ, & tredecies ad minimum ſanguine humano ponderoſior.

3. Omnium corporum ſimpliciſſimum. Chemicorum ſcrutinia perquam laborioſa, quibus in ſua principia illum reſolvere nitebantur, adhucdum eluſit. Analyſin chemicam planè reſpuit, nec enim aquam, neque ſal, nec oleum, vel demum terram, unquam ex eo, quocunque artificio uſi, elicere valuerunt *, Nihilominus alchemici phantaſiâ quâdam correpti, multum diuque in invenienda methodo, quâ mercurius in maſſam ſolidam compactus aurum fieret, inſudârunt, *opus* hoc *magnum* vocantes. Aliis ſemen auri in illo latere perſuaſum eſt, quod inveſtigatum, propriæ matrici commiſſum, & debito calore fotum, aurum produceret, ſicut ſemina plantarum plantas parentibus ſimiles producunt; ſed antequam hoc vel illud fiat, color flavus, ſoliditas, pondus auctius, fixitas & ductilitas admiranda ei concilianda ſunt. Quis mentis compos hos labores ſuſcipere audet? Multi ſanè evanidâ ſpe deluſi, ad ſenium uſque hanc *artem tranſmutatoriam* dictam acriter excoluerunt, re tandem votis non reſpondente, tum corporis tum fortunæ bonis ſuâ inſaniâ orbati, cani Æſopico umbram cum jactura ſequenti haud diſſimiles.

4. Si calori, vel parum illum quo aqua ebullire incipit, ſuper-

* Vide Boerhavii de mercurio experimenta.

anti

anti admoveatur, ſpecie fumi in auras avolat, verùm citò ſibi reſtituitur, nec vi ignis deſtrui poteſt.

5. Omnium corporum fluidiſſimum. Diuturnitate temporis ſtagnando ſoliditatem non acquirit, licèt, uti cætera ſublunaria varios rarefactionis & condenſationis gradus perpetim ſubeat; unumquodque enim corpus calore expanditur, dum frigus idem plus minuſve contrahit atque condenſat. Aqua frigore ſolideſcit, dum quodam caloris gradu liquida ſemper & tenuis exiſtit, gradu adhuc auctiore in vapores ſolvitur. Olea plurima frigore in maſſam ſciſſilem conſtringuntur; ſed frigore acerrimo hydrargyrum fluiditatem, monente Cl. Boerhaavio * nunquam amittere obſervatum eſt: " Spectamus, *inquit*, mercurium adeò denſari, ut adhuc ferè " contrahatur ad $\frac{1}{269}$ ſuæ molis. Scimus, mirabile hoc corpus, " tanto in frigore, tanta in denſitate, manere æquè fluidum, quam " antè, æquè mobile, æquè expanſile."

6. Particulæ mercuriales ſphæricæ ſemper obſervantur. Maſſula mercurii ſpeculo mundo impoſita digiti preſſione facillimè in globulos plurimos ſecedit; ex his quivis repetitâ digiti preſſione, in minores atque minores uſque particulas, nudo oculo haud ſpectandas, diſſilit; minimæ autem microſcopio viſibiles ſphæricam ſemper figuram retinent. Mercurii particulas eſſe exiles admodum ex eo novimus, quòd poros auri anguſtiſſimos ingredi poſſunt, qui oleum, aquam & aërem arcent.

7. Rubigine nunquam obvelatur. Dum duriſſima metalla ex effluviis in aëre volitantibus eroduntur, & pedetentim conſumuntur; dum plumbum in ceruſſam convertitur, & chalybs ſplendens rubiginoſas induit larvas, cuprumque æruginem concipit, imo inerti pinguedine ſolvitur; purum putum argentum vivum, nec ſolvitur, nec corroditur, nec pondere minuitur, aut temporis morâ corrumpitur, ſed reverà inter illa corpora minimè mutabilia locum tenet.

8. Nullâ arte ductilis evadit. Pleriſque quidem metallis in corpus duriuſculum, quodammodo malleabile, *amalgama* dictum, conjungi poteſt. Facillimè plumbo adhæreſcit, dein auro, argento, ſtanno, difficiliùs cupro, vix ferro.

9. Solvitur acidis mineralibus fortiſſimis, ut aquâ regiâ, aquâ

* Element. chem. tom. 1. p. 165.

forti

forti, ſpiritu nitri, atque oleo vitrioli, ſed imperfectiùs. Acida ex vegetantibus ad mercurium diſſolvendum nil valent.

10. Tritu cum teſtaceis & terreſtribus ſumma ejus fluiditas extinguitur. Ope ſacchari aut ſulphuris in pulverem abit nigerrimum. Omni ferè oleo ex vegetantibus vel animantibus deſumpto, per attritum uniri poteſt. Salivâ ſubactus in liquorem cæruleo-nigrum fatiſcit, nec non cum albumine ovi aut vitello, ullove liquido tenace utcunque vel ſpiſſiore; præterea & cum reſinis ſolidis, æquè ac balſamis nativis, facilè in unum coit. Figit eum ſulphur in cinnabarin. Denique, cuicunque corpori unitur, vel ſub quacunque latitat larva, novâ Ἀναστάσει eſt ſemper ſuſcitabilis. Nullo artificio ita immutari poteſt quin ſit ſemper ſuperſtes, vel in auras avolet; & licet millies figatur, aut ad tempus fixum maneat, ope alcalicorum & ſimilium reſuſcitari poteſt.

Mercurius habitus pro veneno apud veteres.

XIV. Antiquos hydrargyri nomine idem corpus deſignâſſe, quod hodie eâdem appellatione gaudet ſatis undique manifeſtum eſt: eorum tamen auctoritas nihil valere debet, qui id venenatum & deleterium pronunciant. *Dioſcorides* alexipharmaca contra ejus virus indicat, & *Plinio* dicitur "*venenum omnium rerum.*" *Galenus* quoque Dioſcoridi confiſus, toxicum eſſe credidit, licet candidè, num eſſet venenum necne, ſe nunquam de eo periculum inſtituiſſe fateatur. In *Hippocrate* de eo altum ſilentium. Inter medicamenta eâ ætate nullum locum habuit: neque externè ad cutaneos morbos ſanandos adhibitus; priuſquam *Arabum ſchola* felices ejus effectus viderit.

Uſurpatus per Arabes externè.

XV. Poſteaquam verò lues venerea, inter morbos *opprobria medicorum* dictos aliquamdiu relata, ultimas Europæ oras peragraverat, ad morbum hunc radicitùs evellendum remediorum tum par, lignum ſcil. guajacum, & hydrargyrum, hoc ab Arabibus, illud à novi orbis incolis, mutuatum adhibebatur. Perpaucis verò tunc mercurii cognitæ fuerunt vires, donec *Jacobus Berengarius Carpenſis*, chirurgiæ & rei anatomicæ peritiſſimus, unguenta mercurialia ad cutem lue venereâ vexatorum fœdâ ſcabie dehoneſtatam expurgandam, externè applicuerat; hâcque methodo, narrante Fallopio, tam frequenter, tamque fauſto cum ſucceſſu uſus eſt, ut brevi ditiſſimus evaſerit; præter maximam enim ſupellectilis argenteæ copiam, plus quàm 400,000 ducatorum aureorum ſu-

is hæredibus teſtamento reliquit, quas maximas gazas ex ſola unguenti mercurialis venditione lucratus eſt.

Etiam ad ſalivationem, ante finem ſæculi 15ti.

Etiamſi *Berengarius* arcanum hoc inveniſſe, mercuriique vim ſalivantem cognoviſſe primus vulgò creditur, res tamen aliter ſe habet. Caſu certè obtigit, ut per ſalivationem eo curari luem veneream poſſe medici ſciverint; neque iis aſſentiendum, qui facultatem ejus in ſaliva movenda circa finem ſeculi 15ti, aut initium 16ti, repertam eſſe, exiſtimant. Nam præter ea quæ *Guido de Cauliaco* notavit, conſtat hanc mercurii poteſtatem, etiam cum inungeretur, *Theodorico Epiſcopo Cervienſi* fuiſſe cognitam, quippe qui varia hujuſmodi unguentorum genera deſcribat, ac regulas proponat, quamdiu & quam ſæpe unctio continuari debeat, uſque dum fluxus incipiat; ægrum item cavere jubeat ne per medelæ tempus frigori ſe objiciat, neque lavetur intra quadrageſimum diem. Humor, ut ait ille, ex ore inſtar fluminis decurret; & pro certo ſe noviſſe modum hunc ſucceſſu non cariturum in malo mortuo, atque ſcabie. Mercurialia hæc unguenta ab *Arabibus* fuiſſe ſumpta evidenter conſtat; atque in hoc morbo feliciter tentata, cum ea in ſimilibus proficere vidiſſent, quales ſunt ſcabies, vitiligo, & lepra. Hujuſmodi externa medicamenta in affectibus cutaneis *Rhazes*, *Avicenna*, cæterique imperant, uti haud eo conſilio ut ſalivam moveant, ita ne verentes quidem ejuſmodi ab illis effectum. Cujus tamen aliquam notitiam habuiſſe videtur, ætate poſterior, *Alſaharavius* ſive *Albucaſis*, quippe qui curationem præcipiat, ubi os, lingua, gutturque præcipue intumuerit, cum corroſione & fœdiſſimo odore: id quod à ſe frequenter viſum teſtatur *.

Nocet fodinariis.

XVI. Mercurii foſſores, brevi poſt eorum in fodinas introitum, ſummâ debilitate corripiuntur, languidi, pallidi, cachectici fiunt, ulceribus paſſim per corpus vexantur, tremoribus quoque, ſpaſmis, convulſionibus, paralyſi, vertigine, apoplexiâ, epilepſiâ, lymphæ effuſione, hæmorrhagiis, ptyaliſmo, partium quarundam inflammatione & gangræna, doloribus juncturarum, dentium vacillatione & prolapſu, carie oſſium, crurum tumore, excernendorum ſuppreſſione, aſthmate, febre hecticâ, phthiſi, & ad plures tandem migrant. Unde, nil mirum, ſi tanta, tamque dira malorum lerna

* Friend hiſtor. medicin.

hydrar-

hydrargyrum manibus contrectantes ſecutura ſit, id ab antiquis tanquam malignum & deleterium fuiſſe damnatum.

" Horrendis, *inquit Goris* *, nervorum pathematibus, nec non " omnium partium debilitate, & tremore corripi omnes illos, qui- " cunque argentum vivum in puteis legunt, & effodiunt, vel il- " lud in igne tractant, ſicque ore naribuſque excipiunt, quotidia- " na docet experientia. Hos omnes qui mercurium effodiunt fu- " ſci plumbeique eſſe coloris, & brevi tempore incidere in para- " lyſin vel convulſiones, tandemque aſthmate ſuffocari, ita ut vix " pertingant, ſaltem rarò tranſeant quadrageſimum annum, & " quantivis ruſtici ac robuſti, vix quadriennium in eo opere vi- " vunt, ſed miſelli moriuntur: hoc omnes quotquot de re metal- " lica ſcripſerunt, ore rotundo teſtantur. Qui in Italiæ cuniculis " mercurialibus laborant, & hydrargyrum ex fodinis eruunt, non " ultra ſex horas in fodina manent, nihilominus brevi eorum mem- " bra reſolvuntur, & moriuntur hectici. In quibuſdam fodinis " Hungaricis, & in auri fodinis ubi Mercurius foditur, fœtor ad- " modum virulentus exſurgit, qui metallicos interimit, ita ut au- " rum ibi reconditum effodere non audeant. Operarius quidam, " qui ſpatium ſaltem ſemeſtre fuerat addictus fodinis, tam plenus " mercurio fuit, ut ſi imponeret fruſtum æris ori ſuo, aut fricaret " digitis, extemplò illud redderet album inſtar argenti: erat pre- " terea adeò elumbis & languidus, ut non poſſet ambabus mani- " bus poculum ſeu vitrum cereviſiâ plenum ori ſuo ſine profuſio- " ne admovere. Memini me ejuſmodi quoque exemplum in au- " rifabro Leidenſi obſervâſſe." Hujuſmodi quoque exemplum alterum apud acta Anglicana videre eſt †. Pergit *Goris*, " Hæc " ſpolia reportant illi qui in ſervum hunc fugitivum in ſuis lati- " bulis primas injiciunt manus. Si adeò tenerum, atque à partu " adhuc rubens monſtrum ab incunabulis, cum altero Hercule, " tam horrendos edere queat effectus, crede mihi, non magis multo " de hoc jam captivo gloriantur, quotquot illud poſteà tractant, " aurifabros putà, ſpecularios, chymiſtas, pictores, illoſque qui in " Hiſpaniâ Peruana aurûm & argentum ab admiſtis recrementis

* Mercur. triumphat. p. 4, 5, 6, 7. † Philoſoph. Tranſact. Lowthorp's Abridg. Vol. 2. p. 579.

" mine-

" mineralibus, mediante mercurio, ſeparant atque repurgant.
" Hunc Hiſpanorum ac Italorum aliptæ cum ceruſſa & minio tam
" minerali quàm vegetabili (ſanguinem draconis in lachrymis alii
" cinnabarin vegetabilem vocant) nec minùs cinnabari vulgari facti-
" titia mixtum macerant, dumque hoc fuco mulierum genas iterato
" inunxêre, dentes brevi marceſcunt atque liveſcunt, mox mephi-
" tim ſpirant fronteque corrugatâ oculi caligant, & ſeneſcentes
" aſthmate plerumque pereunt. Mirandum profectò ſolo ejus il-
" litu vel ſuffitu mox dentes vacillare, qui nec in rogo reliqua
" juxta oſſa funditùs conſumuntur: indieſque experiri eſt aurifa-
" bros, dum argentea vel cuprea deaurant vaſa, mercurialibus
" tam malignè corripi effluviis, ut tandem colla manuſque tre-
" mant, & crura vacillent, infeſtenturque ſcelotyrbo. Qui Ve-
" netiis conficiendis ſpeculis operantur apoplexiæ maximè obnoxii
" ſunt. Epilepſiam, aphoniam cum ptyaliſmo vehementi & gra-
" viſſimis doloribus ab hydrargyri vaporibus in multis aliis obſer-
" vârunt practici. Perſeverantes ab aliquot annis periodicas ſali-
" vationes cum ſumma corporis macie & ariditate ipſe ego in non-
" nullis obſervavi *."

An ideò ſpernendus?

XVII. Ex dictis luculenter patet, malorum terribilium immanem catervam mercurii nimiam contrectationem aut abuſum comitari. An ideò ſpernendus? Minimè gentium. Ullumne datur remedium vel utiliſſimum quod non aliquando noceat? Alimentum mitiſſimum ob exceſſum venenum. Ergò mercurium, qui ex abuſu & intempeſtiva ejus adhibitione maximas ſtrages edere queat, è foro medico relegare & proſcribere, ridiculum admodum foret. Audiamus Poëtam †:

Temporibus medicina valet: data tempore proſunt:
Et data non apto tempore vina nocent.

Hydrargyri pravi ex abuſu effectus ejus potentiam evincunt; atqui ſi optimè tractetur, opportunè ac ſumma cum circumſpectione præbeatur, mirabilia ſanè in morbis graviſſimis præſtiturum nemo negabit.

* Goris loco citato. † Ovid. lib. 2. de remed. amor.

XVIII. Ad

XVIII. Ad vires mercurii crudi priùs deſcripti medicinales enucleandas jam perventum eſt; priùs tamen quàm hanc rem ſuſcipiamus, magnam præparatorum ſeriem, quæ inter remedia efficaciſſima ſemper numerantur, mercurii ſobolem, ſicco pede præterire non licebit. Sed obiter notandum, quod horum vires medicas in primis expendere mihi animus ſit; ergò modos quibus præparari ſolent, apud auctores quippe plurimos enarratos, leviter attingere ſufficiat. Crudus exhibetur, vel diverſimodè præparatus. Crudus priùs deſcriptus.

Præparata præcipua ſunt, *Æthiops varius*, *cinnabaris factitia*, *mercurius ſublimatus corroſivus*, *dulcis*, *præcipitatus per ſe*, *albus*, *flavus*, *fuſcus*, *ruber*, & *viridis*: *emplaſtra*, *unguenta*, &c. ingreditur. Mercurii præparata.

XIX. Si argenti vivi portio cum triplo ſacchari, additis olei amygdalarum dulcium paucis guttis, probè in mortario vitreo ſubigatur, fiet pulvis niger, vermibus inimicus, infantibus gratus, *mercurius ſaccharatus*. Aliquid verò habet incommodi; quamprimum enim in ventriculum ingeritur, ſaccharo ſoluto globuli mercuriales ſui juris fiunt, ergò bina hæc corpora in unum conterere, laterem penè lavare eſt. Æthiopes varii.

Æthiops mineralis eodem modo, quo mercurius ſaccharatus, ex florum ſulphuris & hydrargyri p. æ. unà agitatis, paratur. A tritu, primò colorem cinereum, deinde fuſcum induit, qui paululùm conſervatus maximè nigreſcit, tuncque *Æthiops mercurii*, *Æthiops mineralis*, *mercurius niger* aut *violaceus* dicitur.

Flores ſulphuris cum argento vivo ad ignem deflagrando, donec genus quoddam capitis mortui, peractâ combuſtione, ſpecie maſſæ nigræ reſtabit, aliquando conficitur: ſed cum aliquid mercurii vi ignis in auras diffletur, hic Æthiopem conficiendi modus extra uſum eſt.

Medicamentum natum maximis laudibus ab aliis ornatur, ab aliis tanquam remedium ineptiſſimum contemnitur. De hujus effectibus nimis doctè garriunt alii, qui inertem hunc pulverem ſemper in ſanguinem intromitti, quem mirificè elaborare ac purificare audacter aſſerunt. Pollen hoc nigerrimum penitùs inodorum, acrimoniæ expers, nulli rei facilè miſcendum integrè, admodum ponderoſum, ſæpiùs largâ doſi aſſumitur, ad uncias aliquot intra paucos dies, imò ad libram intra ſeptimanam unam aut alteram, ſine excitata ſalivatione, aut ullo alio ſenſibili effectu, niſi quòd

poſt diuturnum ejus uſum pallor vultui impertitur. Exinde ſuſpicio oritur, quòd ſi aliquantulum Æthiopis vaſa lactea pervadat, & ſanguini permiſceatur, minima ſaltem hujus portio tam longum iter facit, ſed plerumque per totam fiſtulam inteſtinalem immutatus tranſiens per ſeceſſum excluditur.

Hanc ſententiam ſtabilire videntur ſequentia. Fluida in toto corpore acerrima ne unicum mercurii granum ſolvere valent. Uſum Æthiopis diu continuatum ſalivatio rariſſimè comitatur. Sic ſcribit *Harris* *: " Præparationem hanc cæteris mercurialibus ut " plurimùm anteferre ſoleo, tum quia qualicunque quantitate, & " quotieſcunque exhibita ſalivationem non ſolet excitare, quæ te- " nerrimis naturis neque convenire poteſt, neque inexpectata, ci- " tra horrorem aſtantium, unquam conſpicitur." Globuli mercuriales à ſe invicem hoc præparato, ut orificia vaſorum lacteorum anguſta intrare poſſint, non ſatis disjungi videntur. Fæces alvinæ poſt aſſumptum Æthiopem nigro colore ſemper tinguntur; & per alvum, quantùm ab aſpectu judicandum, quantitas anteà deglutita immutata ex corpore ejicitur. Ad hanc rem verba magni Boerhaavii ſpectant †: " Datus, *ait*, intra corpus non valet vaſa ab- " ſorbentia venoſa, vel chylifera, vel lymphatica ingredi, ſed re- " ctâ tantùm per fiſtulam inteſtinalem propulſus, ſi fortunatò ope- " ratur, vermibus fortè necatis, ano exit. Decipiuntur, qui alios " inde effectus ſperant, quos inde natos nunquam videre potui. " Incautos vereor qui tantâ copiâ infantibus, puellis, & tenerio- " ribus exhibent alienam, naturæ indomitam, maſſam foſſilem; " tantò ſuſpectiorem ſanè, quò pigriori inertia, diutiùs reſtat. Sa- " livationem non ciet, quia venire nequit in ſanguinem." Idem de *mercurio alkalizato* ſive *Æthiope albo* dicendum, nonnunquam tamen refractâ doſi ptyaliſmum excitâſſe obſervatum eſt **.

Æthiopem ultra primas vias rariùs tranſgredi liquet; has verò mundificabit, & ſi viſcida phlegmatica materies præſto adſit, ejus expulſionem promovebit; ulcuſcula & excoriationes in inteſtinis detergere & ſanare poteſt. In morbis cutaneis, & contra lumbricos præcipuè celebratur. Si per vaſa venoſa meſenterica, aut la-

* De morb. acut. infant. p. 135. † Element. chem. tom. 2. p. 493. ** Edinburgh Medical Eſſays, Vol. 3. p. 388.

ctea excipiatur & ſanguini immiſceatur, eodem modo ac cætera mercurialia ejus craſin ſolvere valebit.

XX. *Cinnabaris factitia* offic. paratur argenti vivi p. 3. cum ſulphuris leni igne liquati p. 1. paulatim miſcendo, hæcque ſimul permiſta fiſtulâ tabacariâ aſſiduè agitando, donec omnis mercurius evaneſcat. Maſſa refrigerata nigra pulverizatur, atque in vas ſublimatorium immittitur. Igne ſenſim aucto, maſſa rubra, ſtriata, ſplendens, compacta, *cinnabaris factitia*, ad latera vaſis hærebit. Hoc modo ſulphuri vi ignis arctiùs, quàm in Æthiope minerali, unitur Mercurius, unde à ventriculi & inteſtinorum viribus difficiliùs ſuperatur. Coſmeticis nonnunquam pomati formâ immiſcetur: Suffumigiis, adverſus venerea mala narium, oris, gutturis, parvo, ſæpè infortunato, ſucceſſu *. Cinnabaris factitia.

Cinnabaris antimonii vix à vulgari factitia differt, niſi quòd ſtimuli aliquid antimoniati ei inhæreat.

Cinnabaris nativa ad uſum internum adverſus epilepſiam, vertiginem, alioſque capitis affectus laudatur. " Accidit tamen, *uti* " *ait Geoffroy*, nonnunquam quòd cinnabaris nativa, ratione vitri- " olicarum quarundam particularum, vel etiam fortaſſe arſenica- " lium, nauſeas & vomitus excitet, nec non etiam anxietates cir- " ca præcordia: quod & ipſe bis terve obſervavi, licèt cinnabaris " plurimis lotionibus purgata fuiſſet. Quapropter aut cinnabarim " factitiam, aut cinnabarim antimonii, nativæ ſemper anteponen- " dam cenſeo †."

XXI. Ex mercurio aquâ forti ſoluto, dein igne leniſſimo ad ſiccitatem evaporato, hocque cum portione quadam ſalis decrepitati, & vitrioli communis ad albedinem calcinati, propriis vaſis ſublimatoriis commiſſo, igneque ſuppoſito; naſcitur ſal cryſtallinus, albus, ſemipellucidus, acerrimus, *mercurius ſublimatus corroſivus*, ſive *draco venenatus* dictus. Mercurius ſublimatus corroſivus.

Maſſa hæc cryſtallina, mercurio gravis, unde ejus vis corrodens multò efficacior, omnium cauſticorum eſt potentiſſimum, interno uſu horrendum fit venenum; cuicunque enim corporis parti applicatur, hanc rodit, inflammat, in gangrænam mutat. Ex parte acida aquæ regiæ meraciſſima ſphærulis mercurialibus unita conſtat,

* Boerhaav. element. chem. tom. 2. p. 495. † Geoffroy, mat. med. tom. 1. p. 246.

cujus

cujus unaquæque cryſtallus ſphærulam mercurii ſuis ſcindentibus aculeis ſalinis, ex omni ejus ſuperficiei puncto emergentibus, armata eſſe ſupponi poteſt.

Si hujus portio fortè fortuna in corpus ingeratur, ſymptomata diriſſima citò inducit. Suo contactu fauces, ventriculum & inteſtina erodit, irritatione aſſiduâ ventris tormina atrociſſima gignit, cum abdominis diſtentione, muci abraſione, febri, ſiti inſatiabili; ſequuntur nauſeæ, vomitus cum validiſſimo nixu, ejicitur materia mucoſa, ſpumea, interdum cruenta; iſtiuſmodi ſunt dejectiones alvinæ; ſuperveniunt animi deliquia, ſudores frigidi; ventriculi, inteſtinorumque inflammatio & gangræna: miris modis angitur infelix homo, tandemque obitu miſerabili cadit.

Quamvis medici prudentiores hujus exhibitionem internam oblivione obruunt, agyrtæ tamen temeritate infandâ febrem quartanam eo abigere conantur. Externè ad excreſcentias, verrucas, calloſaque ulcerum phagedænicorum labia, conſumenda Chirurgorum laudes quandoque meretur.

Mercurius dulcis.

XXII. Audivimus ſuprà quàm acre venenum ſit ſublimatus corroſivus: ſin tamen hujus p. 4. cum argenti vivi p. 3. terantur ſimul, dein ſublimentur, atque pro tertia aut quarta vice ſublimatio iteretur, naſcitur præparatum à priore quàm maximè diverſum, ſpecificè gravius, inſipidum, vix rodens, remedium nobile, quod *mercurius dulcis* ſive *draco mitigatus* dicitur. Sic domatur ſublimati corroſivi cauſtica vis, diluitur, fit utile medicamentum. Si pro ſexta vice repetatur ſublimatio, *aquila alba* ſive *calomelas offic.* nominatur. Quò ſæpius renovatur ſublimatio, eò mitius fit præparatum: mercurium in particulas minimas vi ignis diviſum, ſale acido intimè combinatum jam habemus.

Hoc intùs exhibitum leniter ſtimulat, ſanguinem attenuat, ſolvit; hinc ſecretiones omnes liquidiores intendit; inde, aliquando alvum movet, nunc urinas pellit, nunc ſudorem vel diaphoreſin, aut ſalivationem excitat: ad ptyaliſmum ciendum omnibus aliis mercurii præparatis jure merito antefertur. Stimulus ſalinus, quo vaſa in contractiones crebriores ducit, facit ut potentiùs ſanguinem liquefaciat, & hac de cauſa poſt operationem, vaſis capillaribus illæſis, faciliùs de corpore expellitur. Externè mitiſſimum cathæreticum. Calomelas cum ſulphuris aurati antimonii proportione debitâ commixtum fit *alterans* potentiſſimum, quod prudenter exhibitum, mor-

morbos cutaneos contumaciſſimos debellat *. Mercurii dulcis doſes aliquot, cum ante, tum poſt *aquæ Moffatenſis* pitiſſationem, in ſcrophula maximè proſunt †. Mercurii dulcis grana quinque vel octo catharticis adjecta multa præſtant, horumque vires efficaciores reddunt. Aloëticorum, rhabarbari, aliorumque purgantium uſum alvi conſtipatio ſequi ſolet. Si hanc alvi tarditatem omnino interpellare debeamus, mercurii dulcis granis quatuor, quinque aut ſex, catharticis iſtiuſmodi permiſtis, per biduum, triduumve poſt operationem, laxior manebit alvus. In multis morbis ab obſtructione vaſorum, humorum viſciditate & acrimonia, præſcribitur. Ut faciliùs vaſa lactea permeet, in pollen tenuiſſimum redigendus eſt: ſi tantùm rudiùs comminuatur, tormina ventris gignit, lactea non pervadit, alvi fluorem creat.

Ponamus globulos mercuriales ſpiculis ſalinis undiquaque per totam eorum ſuperficiem circumdatos eſſe: hi globuli contra ſphærulas ſanguineas impingentes, facient ut in conſtituentes diſſiliant, ad vaſorum latera humorum impetu acti ea irritant, in oſcillationes crebriores fortioreſque ſolicitant, motum ſanguinis ſic intendunt, unde & ſecretiones omnes augent; liquefacti humores per corporis emunctoria extruduntur, uſque donec particulæ hæ acres penitùs abluantur.

Calomelas ſpiritu vini aliquamdiu digeſtum, & poſteà exſiccatum, *mercurii* vocatur *panacea*. A priore vix differt.

XXIII. *Mercurius præcipitatus per ſe*, ſeu *calx mercurii*, hydrargyrum in vas vitreum, infernale, ut aiunt, immittendo, in arena digerendo, igne gradatim aucto, conficitur. In pulverem cinereum primò convertitur, qui paulatim rubicundiſſimus evadit, cum priſtini ponderis augmento. Præcipitatus per ſe.

Vomitum, ſeceſſum, ſudores, & ptyaliſmum movere dicitur. Doſis à gr. 3 ad 6.

XXIV. Solutioni mercurii in ſpiritu nitri, muriâ ſalis marini affuſâ, mixtura ſtatim fit turbida, mercuriuſque ſub pulveris albi ſpecie fundum vaſis petit, quo à liquore ſeparato, atque donec inſipidus evadat loto, *mercurius præcipitatus albus* nominatur. Albus.

Internè ſumptus humores per alvum evacuat, nonnunquam vo-

* Edinburgh Medical Eſſays, Vol. 1. Article 6. Vol. 3. Article 31. † Ibid. Vol. 1. Article 7. ſub finem.

mitum excitat, ex uſu aſſiduo ſalivationem provocat. Extrinſecùs cathæreticum; cum unguentis, pomatiſque cautè adhibitus, affectus cutaneos depellit. " Pulvis hic, *inquit Boerhaavius* *, ritè " paratus, eſt fortè optimum remedium uſque cognitum, quod de " mercurio ad uſus internos paratur."

Doſis à gr. 6 ad 12. vel 15.

Flavus. XXV. *Mercurius præcipitatus flavus*, *turbith mercurii*, ſeu *turbith minerale*, ex hydrargyro in oleo vitrioli ſoluto, ſolutioneque ad ignem, donec maſſa remaneat alba, evaporatâ, conficitur. Pulverizata plurimis aquæ calidæ lotionibus edulcoretur, flaveſcit; exſiccata ad uſum ſervetur.

Per ſuperiora & inferiora vehementer purgat. Errhinum eſt fortiſſimum; membranam ſenſilem Schneiderianam irritando, & vellicando, mucum narium copioſiùs educit, torpeſcentes in cerebro humores commovet, aquoſa diſcutit. Cum *pilulis ex duobus* & *camphora* remixtum, ex evacuante in alterans mutatur †. Ad ſalivationem pigriorem ſuſcitandam aliquando datur. Hic pulvis videtur fuiſſe, quo ritè uſurpato *Paracelſus* miracula præſtitit. Prudens *Sydenhamus*, cautus chemicorum & parcus laudator, hujus ope inexpugnabiles morbos tolli, gratus agnoſcit in tractatu de lue venerea. *Boyleus* narrat, paucula hujus pro ptarmico uſurpati doſi, totum corpus mutatum, verè cataractas diſſolutas **. Doſis ad gr. 8.

Fuſcus. XXVI. *Mercurius præcipitatus fuſcus*, ſive *Wurtzii*, fit, ſi mercurio aquâ forti ſoluto affundatur ol. tartari per deliq. pulverem fuſci coloris ad fundum demittet. Aquâ calidâ edulcoretur.

Eſt emeticum præcedenti paulò lenius.

Ruber. XXVII. Mercurio in ſpiritu nitri ſoluto, liquore tunc ad ſiccitatem uſque in arena evaporato, maſſa pallidè flaveſcens remanebit, quæ calcinationi commiſſa rubra evadit, diciturque, licet perperàm, *mercurius præciptatus ruber.*

Corroſivum eſt atque emeticum, & ad ſalivationem torpeſcentem promovendam interdum exhibetur; ſed ob copioſius adhærens acidum, ultra grana tria aut quatuor aquoſis optimè diluta, venenum. Externè eſcharoticum, & ad ſuppurationem benignam ul-

* Element. chem. tom. 2. p. 483. † Edinburgh Medical Eſſays, Vol. 4. Article 4. ** Apud Boerhaav. element. chem. tom. 2. p. 490.

ceribus

ceribus inducendam quandoque utiliſſimum, ſed incautis, ne nimio ejus uſui indulgeant, cavendum: nam, "Crebrò, *inquit Langius*, expertus ſum, quum ſordidis in genu ac juxta talos ulceribus mercurii præcipitati pulverem paulò frequentiùs inſpergerem, illius virus, cæteris membris illæſis, ad dentes penetrâſſe, & os ac pharyngas diurno nocturnoque ſalivæ effluxu madefeciſſe *."

XXVIII. *Mercurius præcipitatus viridis*, ſeu *Lacerta viridis*, ſic conficitur. Mercurii p. 8. & cupri lamellatim conciſi p. 1. ſeorſim in ſpiritu nitri ſolutis, ſolutiones confundantur, & ad ſiccitatem evaporentur. Maſſa ſuperſtes pulverizata cum aceto deſtillato balneo arenæ digeratur; acetum tincturâ viridi vel ſubcæruleâ ſaturatum extrahatur, novumque ſuperaffundatur; omnes tandem tincturæ ad mellis ſpiſſitudinem leni calore evaporentur. Igne ſemoto, materia indureſcit, & pulverizata viridis eſt, atque ad uſum conſervatur. Viridis.

Vomitum ciet, alvum movet; quæ tamen poſt operationem adſtrictior manet: hinc, in gonorrhœæ virulentæ ſtadio quodam maximè prodeſſe dicitur.

Doſis ad gr. 8.

XXIX. Præter hactenus memorata mercurii præparata, alia extra uſum medicum ſunt, atque alia, à mercurio vocabula derivantia, quæ ejus indolem penitùs abnegant; hæc itaque percurrere ab re foret.

Emplaſtra, aut *unguenta* mercurium accipientia, extrinſecùs applicata ad ulcera mundificanda, ſananda, atque tumores duros reſolvendos conferunt. Exinde inter *diſcutientia* valentiſſima numeratur mercurius. Medicamentum, quod ex cinnabari maximè conſtat, præter alia omnia ab *Alexandro Tralliano*, ad reſolvendas eas, quæ oriuntur in rheumatiſmo & podagra, concretiones, celebrarur †. Apud *Paulum Æginetam* exſtat etiam emplaſtrum ex cinnabari ad tophos & alios omnis generis induratos tumores. Emplaſtra, & unguenta mercurialia.

Oleoſis ferè omnibus per attritum non magno cum negotio uniri poteſt hydrargyrum: inde verò ad unguentum mercuriale conſtituendum nihil aliud præter axungiam, aut oleum quoddam ſpiſ-

* Apud Schenkii obſ. med. p. 894. † Friend hiſtor. medicinæ, edit. Pariſ. p. 152.

ſius

ſius & hydrargyrum neceſſarium, ſtatuere non licet; enimverò, niſi tertium quid oleo adhuc tenacius his adjiciatur, globuli mercuriales, quanquam laborioſo tritu plurimùm à ſe mutuò disjuncti, quamprimum ferè corpori tepido affricabitur linimentum, oleo liquefacto coibunt, ſicque vim frictionis eludent. Ex addita parciore manu terebinthina Veneta incommodum præcavetur; hæc enim non modo ſatis tenax eſt, ſed admodum penetrans, adeòque duplici de cauſa particularum mercurialium introitum facilitabit.

Mercurii vires medicatæ.

XXX. De mercurii præparatis plura dicere, eſſet ſuperfluum: ejus vires medicæ ut inveſtigentur & depingantur jam nobis (ut omittamus ejus uſus mechanicos, tanquam minus ad rem noſtram ſpectantes) potiùs incumbit. Atque

1. Effectus in primis viis, *&c.*
2. Ejus in humores actio, perpendenda ſunt.

XXXI. Purgantium, emeticorum, diureticorum, ſudoriferorum, errhinorum, vulnera mundificantium, acrimoniam demulcentium, deobſtruentium & alterantium, ſub formis diverſis vices aliquando gerere poteſt mercurius: atque, non modo his potitur viribus, verùm totam quantam humorum veteranorum maſſam ſalivoſi laticis ſpecie ex corpore eliminare valet. In unico mercurio ingens latet armamentarium medicum.

In primis viis, &c.

XXXII. Si argenti vivi, crudi, puri, nullâ arte elaborati portio quædam deglutiatur, quæritur quid ſequi debeat? In fundo ventriculi tanquam iners pondus morabitur, donec ingeſtis aliis ex hoc cavo per pylorum in inteſtinum rejiciatur; ſed propterea quod maſſulæ mercuriales nimis ſecum invicem cohærent, neque disjunguntur aut comminuuntur, ne vel unica hujus portiuncula lacteorum orificia intrare valebit: ideòque chyloſâ materie permiſtum, ſi nihil obſtet, ulteriùs progreditur, & cum parte magis fæculentâ & craſſiore ingeſtorum, liquorumque multiplicium quibus hic tubus oblinitur (partibus ſubtilioribus nutritioni idoneis priùs in vaſa lactea receptis) per totum inteſtinorum tenuium tractum prolabitur; quâ cum fæce mox in initium coli trudatur, dein inteſtina craſſiora tranſeat, & tandem de corpore expellatur neceſſe eſt.

XXXIII. Argentum vivum per ſe hauſtum, intactis viribus recto tramite longas primarum viarum ambages pertranſire ſolet; forſan quandoque remorâ gyris inteſtinalibus per breve temporis intervallum (quod ſine ullo ægri damno, niſi quod tormina ven-

tris

tris nonnunquam excitare ſuſpicioni locus ſit) factâ. Ab ore uſque ad anum attritum tam vehementem non ſubit, quo in tam parvas moleculas diviſus lactea pervadat, aut cum ingeſtis intimè miſceatur. Hîc loci, neque in ulla corporis parte extant liquores, quibus ſolvi poteſt mercurius: nam ſi tales humores acres præſto adeſſent, ipſa inteſtina eroderentur ac deſtruerentur. Deſunt, quantum noverimus, exempla ubi hydrargyrum crudum exhibitum ptyaliſmum moverit. Quantum itaque commodi ab exhibitione mercurii crudi exſpectare liceat, ex proprio ſibi pondere pendere videtur. *Londini* tamen ejus uſus nuper maximè invaluit, atque apud quoſdam pro *panacea* habebatur.

XXXIV. Inter anthelminthica eminet, cujus vis ponderi ejus ſummo adſcribitur, niſi eum acrimoniæ mineralis vermibus inimicum aliquid tenere diceres. In iliaca paſſione ad libram integram cum vectione in rheda aliquando laudatur: ad extricandos inteſtinorum nodulos & pertinacem alvi obſtructionem convenire quoque dicitur. Sin verò hiſce in caſibus partium adſit inflammatio, quam maximè fugiendus eſt.

Ejus infuſum aut decoctum in aqua inſipidum, inodorum, diaphanum, lumbricis maximè adverſari notatur; ſive per os, ſive formâ clyſmatis in corpus recipiatur. Propriâ experientiâ, felices eorum effectus confirmant nonnulli *, dum in aqua pluviali decoctum hujus, colore ſaporeve aquæ non mutatis, vermes & febrem quartanam fugâſſe referunt: pro coſmetico optimo ab aliis habetur.

XXXV. Mercurius externè admotus, ſalivationem inducere, tumores reſolvere, ulcera mali moris mundare & à gangræna ſervare valet. Scabiem pellit; in lue venerea, ſcorbuto, multiſque in affectibus cutaneis prodeſt, unde *coſmeticus* habetur: cavendum tamen ſtudioſè, ne rugas in facie creet, & gingivis imprimis ſcorbuticis noceat.

XXXVI. Inſecta omnia interimit. Si in arborem, terebrâ uſque in ejus medullam perforatam, immittatur, arbores necat †. Mercurii crudi circiter ſemiuncia in venam canis jugularem injecta, mortem adtulit **. Illum tamen internè ſine noxa adhiberi

* Antonii de Heide, obſ. med. 100. † Goris mercur. triumph. p. 6. ** Philoſoph. Tranſact. Lowthorp's Abridg. Vol. 3. Part 1. p. 233.

poſſe probatu difficile non eſt. Hoc innuiſſe videtur *Avicenna* *: "Argentum vivum plurimum, *inquit*, qui bibunt, non læduntur "eo; egreditur enim cum diſpoſitione ſua per inferiorem regio-"nem." *Wierus* narrat † vetulam quandam marito aliquot vicibus argentum vivum dediſſe devorandum, ut eum perderet, illumque id ſine ullo nocumento per alvum egeſſiſſe. Quaſdam mulieres memorat *Fracaſtorius*, quarum ſingulæ ſumpſerunt hydrargyri libram ad fœtum perdendum, quæ ne tantillum moleſtiæ perceperunt, nec votorum compotes extiterunt, fœtibus nempe retentis. Qua de cauſa auctores mercurium crudum ad partum difficilem promovendum laudent, planè neſcio. "Hydrargyrum, in "occluſo vaſe aquario reconditum, cum caſu mulier ebibiſſet, a-"quam ineſſe exiſtimans, in pago quodam, ſtatim timore percul-"ſa ad me conſilii causâ properavit, atque in itinere, magnam "illius & in hypocauſto meo quoque, involuntariè per ſeceſſum "elapſi copiam excrevit, nec quid mali poſteà eſt paſſa **." *Wepferus* †† de cane litu mercuriali inuncto hiſtoriam tradit, qui ſalivationem paſſus eſt, atque poſteà mercurii vivi libram dimidiam cum quatuor unciis pinguedinis ſuillæ devoravit, atque ita lambendo patinam exterſit, ut vix paucula mercurii granula ſupereſſent. Ab hac mercurii vivi portione devorata nulla actio vel minimùm læſa fuit: nec quicquam in excrementis præter naturam animadverſum fuit: imò, inde magis famelicus reddebatur.

Alia hujuſcemodi exempla ab auctoribus exprомere vix neceſſarium; allata mercurium vivum tutò internè exhiberi poſſe clarè oſtendunt; atque ut hæc res comprobetur ad illa confugere vix opus eſt: quotidie enim parciore copiâ ad lumbricos interimendos aſſumitur, & apud quoſdam magno habetur pretio.

Fauſto cum ſucceſſu in paſſione iliaca ad integras libras ſæpiùs propinatum fuiſſe ſine ingruente incommodo obſervat D. *Mead* *⁎. Huic aſſentit *Clericus* †‡: "Hydrargyrum, *ait*, ſeu mercurium "vermibus plurimùm adverſari apud omnes in confeſſo eſt. Hu-"jus primò decoctum ſeu infuſionem, in aqua calente factam, "commendant paſſim medici, ſed niſi largâ manu affundatur mer-

* Can. medic. lib. 4. fen. 6. † De præſtig. dæmon. p. 376. ** Plateri obſerv. p. 900. †† De cicut. aquat. p. 377. edit. 8vo. 1733. *⁎ Mechanical Account of Poiſons, p. 110. †‡ Hiſtor. lator. lumbricor. p. 426, 427.

"curius,

“ curius, longaque fiat infuſio aut decoctio parùm proficiet. At
“ idem crudus, & in ſubſtantia doſi mediocri voratus, majorum
“ erit virium. Nec quidquam ab ejus pondere, quo viſcera exedi
“ putabat *Dioſcorides*, vel acrimoniâ metuendum. Ego utique
“ mercurium vivum ad uncias duas, tres, & ultrà, non quidem
“ ut vermes enecarem, ſed ut ileo laborantes ægros ſublevarem,
“ felici ſucceſſu, aliquoties exhibui. Imò quàm ſecurè exhiberi
“ poſſit ex eo etiam didici, quod, in hoc caſu, mercurius propter
“ inteſtini obſtructionem, poſt longum tempus, & per partes dun-
“ taxat, exiens, ſibique ſenſim viam aperiens, intra viſcera, abſ-
“ que ullo incommodo, per quindecim ampliùs dies, moratus ſit,
“ priuſquam totus è corpore eductus fuerit, ut inſpectis ægrorum
“ excrementis, quibus admixtæ ſemper, toto hoc intervallo, e-
“ juſdem particulæ inveniebantur, apparuit.” Sic ille. Vidit Cl. D. *Mead* * argenti vivi uncias binas per 24 dierum ſpatium quotidie ſumptas, abſque minimo ægri damno.

XXXVII. Omnis acrimoniæ expers videtur mercurius. Compertum enim eſt, quod in cryptis celluliſque oſſium, aliarumque partium multoties ſtagnat, ne minimo vis corrodentis ſigno apparente. D. *Mead* † cujuſdam ſuſpendio mulctati exſecto cadavere, argentum vivum in perinœo ſtagnans reperit, nullo corroſionis indicio ſeſe manifeſtante.

Jam liquidò conſtat mercurium crudum, licèt tutiſſimè aſſumatur, intus exhibitum, tot aut tanta non promittere, quot aut quanta ex ejus præparatorum uſu exſpectanda ſunt. In primis viis moratus, excoriationes ſanare poteſt, hocque ſenſu roborare inteſtina. Ex pondere proprio alvum aperit, atque tota auctorum cohors uno ore vermibus inimicum pronunciat; quod, ſi experientiæ nunquam non reſpondeat, pro certo habendum eſt.

Si annulus aureus argenteuſve digito alicujus fortè fortuna tam firmiter applicetur, ut ſine magno incommodo ſic retineri, neque ullo modo detrahi poſſit; immerſo digito in pyxidem argento vivo repletam, & fricatis annulis, citò ii fragiles evadunt, rumpuntur; incommodum præcavetur.

Mercurius avellanæ incluſus mulierum collo ob lactis defectum

* Mechanical Account of Poiſons, p. 111. † Loco citato.

appenſus,

appenſus, nil valet. Neque crediderim cacodæmona in corpore latitare dignoſci, ſi mercurium in arundine occluſum, colloque appenſum nigrum videas. Hæc inter ridicula, & cachinno excipienda, reponi debent.

XXXVIII. De mercurii effectibus in primis viis, &c. dicta ſufficiant: ordo nos dicere jubet, quid in humores agat, dum per ſyſtema arterioſum ictibus cordis impellitur.

Aliæ in ſanguine.

Salivationis ratio.

Mercurius ſanguini commixtus, & vi vitæ actus, effectus perquam ſenſibiles edit, & tales, quales conſtanti ferè lege ejus uſum comitari experientia edocuit. Sanguinem nimirùm ſolvit, & plerumque ad glandulas ſalivales determinat. Hæc eſt nova evacuationis methodus, à veteribus non tentata, quâ humores noſtri ſub ſpecie ſalivoſi laticis ex corpore eliminantur. Medicamenta quæ ſputamen ex ore proliciunt, *ſalivantia*, *ſalivam moventia*, σιαλαγῶγα, dicuntur; evacuatio ipſa, *ſalivatio*, *ſialochus*, *ſialiſmus*, *ptyaliſmus*, vocatur. Potentiâ omnibus aliis evacuationibus antecellit, & reverà recentiorum eſt inventum: purgantium, emeticorum, diureticorum, & ſudoriferorum uſus *ævo Hippocratico* medicis innotuit; neotericorum verò fuit, mercurii vim ſalivantem detegere.

Saliva ſex imprimis glandulis ſecernitur, parotidibus, viz. glandulis maxillaribus & ſublingualibus. Salivæ fons veteribus fuit incognitus; hanc enim per vias occultas ex cerebro aut nervis deſtillare credidere: ſed hodie unicuique ferè, has glandulas ſalivam à ſanguine arterioſo ſecernere, ſecretamque per ductus excretorios patulos in os hiantes eructare, notum eſt.

Salivæ ſecretio tum & excretio diverſimodè promovetur. Quicquid partes oris internas irritat, ſalivam ducit; uti maſticatoria, radix pyrethri, zinziberis, ſem. ſtaphiſagriæ, maſtiche, tabacum, &c. ab aſpectu eſculentorum, ac potulentorum gratiorum, acidorum & ſimilium, os ſalivâ madet. Sputatio frequens ex deglutitione præpeditâ anginoſis accidit. A nauſea in ventriculo uſu antimonialium excitatâ fit ſalivæ exſpuitio. Ex compreſſis glandulis ſalivalibus, ut in oſcitatione, ſaliva elicitur. Quæcunque demum humores liquefaciunt, ſicut cathartica fortiora *hydragoga* dicta, & omnium maximè *mercurialia*, ſalivæ effluxum copioſiorem creant.

XXXIX. Virtus quâ mercurius ſalivam movet, non à ſulphure arſenicali, calore aut frigore ejus exſuperante, neque ex ſympathia

inter

inter eum & glandulas ſalivales, neque quod ad caput ſublimatur, unde ſalivoſi humoris ingens profluvium pendere videtur. Nec ad occultam energiam, aut ad acidum vel alcali, ut ejus vires enodentur, opus eſt ut confugiamus. Vim quâ ptyaliſmum concitat, à proprietatibus mechanicis mutuatam, ex ſequentibus apparituram eſſe arbitror.

XL. Priuſquam verò ejus in ſanguinem effectus explicemus, pauca præmittendo viam ſternere æquum judicamus.

α. Corporum momenta, ſeu quantitates motuum, ex ratione quantitatis materiæ & celeritatis compoſita, oriuntur.

β. Augetur momentum corporis cujuſvis, ſeu vis ea, quâ corpus è loco ſuo continuò tendit, augendo vel celeritatem, vel quantitatem materiæ, vel utramque.

γ. Si momentum corporis ſit majus, quàm contraria impedimenti vis, id impedimentum removebitur.

δ. In quovis fluido non tantùm eſt preſſio deorsùm, ſed etiam à latere & undiquaque.

ε. Sanguinem liquorem eſſe heterogeneum ex ſphærulis rubris majoribus, flavis ſeroſis minoribus, pellucidis lymphaticis adhuc minoribus, &c. confectum, phyſiologia monſtrat *.

XLI. Poſtquam mercurius in ſanguinem defertur, facilè patet quomodo hujus momentum augeatur; quia ſcil. augetur quantitas: quòd ſi augeatur etiam velocitas, eo fortius erit momentum: aſſumpto mercurio tamen creſcit non modo quantitas ſanguinis, ſed & velocitas: quò magis celeritate & mole creverit, eò plures ſecernuntur ſpiritus; quò verò ſpirituum copia ſit uberior, eò crebrior fit atque validior cordis contractio, adeòque ſanguis majore cum momento in impedimenta quævis impinget. *Mercurius auget momentum ſanguinis.*

Sanguis mercurio gravis, ex ventriculo cordis dextro in arteriam pulmonalem pulſus, compingitur, conteritur, conquaſſatur, viresque pulmonum validas ſubit. Ad ſiniſtrum cordis ventriculum cum pervenerit, magnâ vi in aortam pellitur; ejus particulæ circa proprios axes iterùm iterúmque volvuntur, dum earum vis premens ad canalis circumferentiam exeritur, unde arteriæ latera

* Boerhaav. prælect. in inſtitut. tom. 2. p. 320.

quaquaversùm diſtrahuntur: ſed hæ propter ſuam elaſticitatem citò recedentes diametros minuunt, humoremque à circumferentia verſus axin reprimunt; dum ſanguis, immediatè in aortam actus, inter ſanguinem præcedentem & ventriculum cordis ſiniſtrum, quaſi inter bina præla, comprimitur; exinde inter ſanguineos & mercuriales globulos motus naſcitur inteſtinus, ex quo colliſio particularum contra ſe mutuò continuatur.

Attritum. XLII. Inde ſanguis mercurio dives, per canales celeriter trajectus, neceſſariò attritum inducit majorem, hincque majorem quoque caloris gradum. Calorem. Poſt receptum in ſanguinem mercurium, febrem reverà excitatam eſſe evincit pulſus celer, validus, & durus.

Solutionem. XLIII. Ex aucto ſanguinis momento, ſi vaſa aperta ſint atque libera, curſu rapido, ubi cor tum motum, tum motûs directionem gubernat, aguntur humores; particulæ mercuriales duriores atque denſiores, inſtar tot cuneorum, contra molles & leviores globulos ſanguineos rubros alliduntur; partium tum gravitate, tum tenuitate hos confringit mercurius, comminuit, in elementa ſegregat, illorumque compagem penitùs deſtruit, fit omnium confuſio, atque intima miſcela.

Liquores corporis tenuiores & acriores, craſſioribus & blandioribus jam ſolutis commixti, diluuntur, mitiores evadunt, & vi humorum circumductorum in vaſa ſecedunt lateralia ſecretoria, de corpore citò eliminandi; atque hoc modo, mercurium humorum acrimoniam temperare mente conſequimur.

Humores lenti, mucoſi, glutinoſi, in diatheſin phlogiſticam proni, aut compacti reſolvuntur, in motum viciſſim ducuntur. Soluti magis meabiles deveniunt, unde liber fluidorum tranſitus per canales.

Solvit obſtructiones. XLIV. Noſtro ſanguine mercurius eſt decies & ter ſpecificè ponderoſior: ideóque, ſi ſanguis & mercurius eâdem celeritate adverſus obſtaculum aliquod agantur, eò citiùs illud removere, quò magis ſanguinis gravitatem ſuperat, valebit mercurius. Cùm impetus duorum corporum eâdem velocitate latorum in obſtaculum ſint ut quantitates materiæ, maſſa ſanguinis mercurio gravior facta vehementiùs feretur in obſtacula adverſa, poteſt ab hac cauſa obſtaculum removeri, aut, ſi reſiſtere nequeat, rumpi. Inde, intelligitur, quantum mercurii vis ad obſtructiones recludendas valeat.

leat. Neque cum D. *Cheyne* * aſſeveràſſe erubeſcerem, quòd ſi copia mercurii ſatis larga ſanguini miſceatur, ſanguis hic mercurio immixtus ad obſtructiones reſerandas, tantum unius diei ſpatio, cæteris paribus, quantum ſanguis ſolus eâdem celeritate pulſus per triennium, quàm proximè efficere poſſit.

Inter deobſtruentia proindè potentiſſima cenſeri debet mercurius. Sin tamen materies obſtruens in vaſis minoribus, ubi vis cordis ferè aut omnino deeſt, hæreat; aut ſi glandularum folliculi craſsâ infarciantur materie, vix exſpectandum quamdiu vis propellens aberit, quòd vi mercurii hæc, ne ampliùs noceat, excutiatur. Hydrargyrum enim in humores tantum agit, quantum per cordis arteriarumque vires in actum ducitur; nullo gaudet ſtimulo; parti alicui corporis excoriatæ appoſitum dolorem non creat: ideòque ubi humorum, uti in vaſis ſecretoriis, motus eſt tardiſſimus, hæc obſtructa reſerare, aut nimis ſpiſſos in illis humores attenuare ac reſolvere nil ferè valet. Niſi in vaſis ultra cordis vires.

XLV. Summa itaque cautela in glandularum obſtructionibus, aut in ſchirrho, ne damna inferat irreparabilia, adhiberi debet. Nullas (uti dictum) ſingulares proprietates poſſidet, quibus ſanguinem, alioſve humores lentos viſcidoſque fundere valeat. Ejus vires à dotibus ſuis mechanicis, pondere ingenti, ſummâ fluiditate, particularum figurâ & exilitate, pendent: Humores itaque quocunque modo inſpiſſatos aut coagulatos, niſi per vires vitæ in motum ducatur, mutare non poteſt. Hinc, quando vaſa minora vim cordis non excipientia ingredietur, in iis neceſſariò ſtagnare debet; unde mercurius internè exhibitus aut externè applicatus, ut ſchirrhus reſolvatur veteranus, ne quidquam utilitatis promittit, imò, non modò non inutile, ſed noxium fiet. Siquidem, quamprimum in vaſa glandulæ ſecretoria pervenerit, ubi lentiſſimo motu fluida fruuntur, ejus vires prorſus abolentur: & quando in folliculum glandulæ delabitur, ex vis à tergo prementis defectu ibi ſtagnans hærebit, ex propria gravitate vaſa aperta comprimendo, ea occludet, unde inflammatio & cancer.

XLVI. Mercurius ſanguini commixtus legibus circulationis obtemperat; & propter fluidorum motum acceleratum, copiam horum majorem per eadem vaſa eodem temporis ſpatio ferri oportet. Intendit ſecretiones.

* New Theory of continual Fevers, p. 128.

Hinc

Hinc ſecretiones omnes plus minuſve promoventur, atque ſenſim ſenſimque tota liquidi vitalis maſſa in liquamen ſemiputridum convertitur; cujus partes tenuiores per renes, per cutis ſpiracula ſub perſpirationis inſenſibilis aut ſudoris ſpecie, vel per vaſa inteſtinalia, nolente volente medico, ſæpiùs de corpore egeruntur: quà datâ portâ apertiore, ibi humores ruunt, ad ſalivales nempe glandulas; & conſtanti ferè naturæ lege, tam ſalivoſi laticis ſecretio quàm & excretio plurimum augetur.

Sanguinem ita colliquare videtur mercurius, ut ejus particulæ in vaſa glandularum ſalivalium ſecretoria præ cæteris faciliùs deriventur.

Effectus ſolvens idem ſub quacunque forma.

XLVII. Hoc peculiare habet, quòd quocunque modo ei aditus in ſanguinem datur, eoſdem plerumque edat effectus. Sic diſertè ſcribit Cl. *Boerhaavius* *: “ Argentum vivum deglutitum crudum “ in catapotiis Barbaroſſæ; idem affrictum cum pinguibus in un- “ guento carpi ad luem, cuti externæ; applicatum in emplaſtro “ Vigonis de ranis ad ipſas pedum plantas; multo uſu tractatum “ manibus calidis; in vapores ſolutum ad ignem in inauratione, “ deſtillatione, ſuffitu; nonne perfectè idem præſtat in corpore “ ſano, juvenili, robuſto?”

Mercurium canales corporis minores pervadere non poſſe, quin in iis ſtagnare maximè opportunus ſit, ex traditis manifeſtum. Quòd in vaſa minima irrepere valeat, veriſimile non eſt; hinc ejus efficacia intra limites quoſdam coërcetur. Poſt uſum ejus immodicum ſub forma unguenti, emplaſtri, aut ſuffimenti, in oſſium cryptis, celluliſque, aliiſque corporis locis, ubi vis cordis motum negat, latere invenitur †.

Hæc quidem ſunt, quæ à mercurio intra vaſa ſanguifera contento, vi vitæ acto, omnino exſpectanda.

Præparatio corporis ad ſalivationem.

XLVIII. Antequam mercurius, ut provocetur ſalivatio, adhibeatur, pro una aut altera vice mittendus eſt ſanguis; ſic enim locus ei conceditur, vaſorum plenitudo minuitur, & humores ſoluti non tantâ vi & copiâ in vaſa ſecretoria irruent: dein ſaburra ope ptiſanæ purgantis ex primis viis excutienda: denique corpus decoctis diluentibus ac reſolventibus implendum. Hoc modo humores

* Tractat. med. de lue aphrodiſiaca. † Vide Boneti ſepulchret. anatom.

fluidi-

fluiditatem majorem acquirent, liberiùs per vaſa traducentur, & mercurius citiùs tutiùſque ſcopum attinget.

XLIX. Ad ptyaliſmum ciendum, alii ſuffitu ex cinnabari, alii unguentis vel emplaſtris, alii mercurio diverſimodè præparato, ſecundum varias ægrotantis conditiones, utuntur. Mercurium adhibendi ratio.

Quando ptyaliſmum *ſuffitu* concitare vellent, æger ritè præparatus hypocauſto ſive capſæ, exſerto capite, ut ſine moleſtia reſpiret, incluſus, vel ſtragulis contectus, ſuper prunas, quibus pulveris cinnabaris drachma injicitur, reſinis odoriferis tanquam correctoriis mixti, collocatur; quorum halitus per vaſorum inhalantium oſcula excipitur, in ſanguinem mox transfertur. Poſtquam per horam ſudaverit æger, in lectum calefactum ingreditur, ac adhuc inibi pro viribus plus minuſve ſudat. Singulis vel alternis diebus, aut ſi opus eſſet crebriùs, iteretur ſuffumigium, donec gingivæ tumeſcant, dentes vacillare, atque os ulcuſcúlis affici incipiant, tandemque copioſum ſalivæ fiat profluvium. 1. Per ſuffitum.

Hydrargyroſis ſive *inunctio mercurialis* hocce modo inſtituatur. 2. Per inunctionem.

Præmiſſis præmittendis, atque ægro prope focum collocato, ejus brachia & crura linimento mercuriali inungenda ſunt, ita ut pro una vice ſemidrachma aut drachma hydrargyri conſumatur; 12 vel 24 horis interjectis inunctio repetenda eſt, & ſic porro; uſquedum ſymptomata, quæ nos illitus interpellare imperant, appareant. Alias corporis partes præter brachia & crura unguento illinere vix neceſſarium, niſi tumores, ulcera, &c. ejus applicationem topicam deſiderant.

Emplaſtra mercurialia, ſpinæ dorſi, ac etiam circa extremitates corporis majores, applicanda, rariùs in uſum advocantur. 3. Per emplaſtra.

Suffitûs ex cinnabari, unguentorum, emplaſtrorumque mercurialium uſus, totam quantam cutis ſuperficiem, venis infinitis bibulis ſive abſorbentibus eſſe pertuſam, quàm clariſſimè demonſtrat, quorum orificia patula particulas mercurii inhauriunt; hæ venulæ in venas majores, majoreſque terminant, atque ſanguis mercurio gravis jamjam ad cor appellit, cujus vibrationibus per ſyſtema arterioſum propellitur, unde effectus ſuprà memorati neceſſariò ſequi debent.

Præparata mercurii *mitiora*, pleriſque in caſibus ubi ſalivatio movenda eſt, intùs exhibita, præ cæteris palmam præripuerunt. 4. Per uſum internum.

Ægro ritè præparato, mercurii dulcis grana quinque ſub forma

 boli

boli aut pilulæ, ne dentibus adhæreat, veſperi deglutiantur; altero die, veſperi grana quinque, atque, ſi opus erit, doſis ad grana ſeptem, vel grana quinque, mane ac veſperi augeatur. Mercurius dulcis, aut calomelas cautè ſic propinetur, uſque demum donec uberior fiat ſalivæ effluxus, qui quidem augeatur, minuatur, vel in eodem ſtatu ad medici arbitrium ſuſtineatur. Si mercurius alvum ſolvat, formâ boli cum diaſcordio exhibeatur. Si autem tardiùs ptyaliſmum alliciat, ægro interdum emeticum ex granis ſex vel octo turbith mineralis dare juvat.

Aliis pilulas mercuriales, ad exſpuitionem commovendam, adhibere placet.

Signa ſanguinis ſoluti.

L. Signa mercurium colliquâſſe ſanguinem monſtrantia, ſunt pulſus validus atque ſatis velox, animæ fœtor, anhelitus, faucium ardor & tumor, alvi fluxus, vultus pallidior, mineralis in ore ſapor, glandularum ſalivalium à liquidi ſalivoſi accumulatione intumeſcentia, gingivæ dolentes tumidæ, dentes vacillantes, internæ quandoque oris cavitatis exulceratio, per totum corpus ſtupor aut gravitas, ſalivoſi laticis copioſum profluvium, debilitas, & interdum lipothymiæ. Quorum nonnullis vel omnibus apparentibus, uſui mercurii interdicendum erit.

Salivantium regimen.

LI. Per totum ſalivationis decurſum, frigus ſedulò evitandum; caput, collum, fauceſque, panni bibuli & mollis leni tepore fovenda; os tepidâ colluendum. Ægrum juſculis tenuibus non pinguibus, decoctis farinoſis & panatellis, quæ abſque manducatione deglutiantur, potiùs quam alimentis ſolidioribus, per totum medelæ tempus veſci oportet: pro potu quotidiano, emulſio, aut ſerum lactis in primis convenit. Si ad libras duas, treſve, aut ad ſummum quatuor, quolibet nychthemero, ſecundum ægri varias conditiones, exſpuatur, ſufficit. Si nimis urgeat ſalivatio, lene purgans, aut blandum ſudoriferum, ut humorum impetus ad inferiora, vel ad cutis exteriora, cum potûs tepidi blandiſſimi largo uſu, omiſsâ mercurii exhibitione, avertatur, præſcribendum eſt. Sin verò, dum uſurpatur calomelas, alvi fluxus vehementior cum torminibus, aut dyſenteria cruenta ſuperveniat, clyſmata roborantia & adſtringentia, ſimul cum diacodiatis ægro cautè adminiſtrare, æquum ducitur. Ubi os, gingivæ, fauces, nimis tument dolentve, leni tenui gargariſmate utendum, ut acres temperentur humores, ulcuſcula mundentur, & blandè exſiccentur. Animi deliquio

nato,

nato, uſu potûs meracioris ſuccurendum erit. Continuandum in ſalivatione donec omnia mali ſymptomata evanuerint: tandem tota humorum maſſa in liquamen ſemiputridum abit, unde ſalivantium halitus fœtidiſſimus; vel ut *Tulpii* verbis id efferam, ex frequenti mercurii uſu triſtis exhalatur mephitis. Talis humorum ſtatus exhibitione decocti ſaſſaphras cum radice glycyrrhizæ leniter ſtimulantis, corrigendus eſt, ut humores ſemiputridi de corpore expellantur, & mercurii effectus prorſus compeſcantur. Expeditâ mercurii operatione, bis terve purgetur æger; dein ejus vires victu euchymo reſocillentur. Hoc modo omnes humores veterani, ſive priùs ſtagnantes, ſive mobiles, in ſanguinem rapiuntur, ſubiguntur, ſolvuntur, foràs amandantur; inde liquidi vitalis integra renovatio.

LII. Omnes morbos, quorum curationem moliri poſſit, ægrorumque proprias conditiones quibus conveniat mercurius enumerare, voluminis eſſet, ex infinitis utcunque pauciſſima recitare non gravabor.

Vermibus in muco inter tunicæ villoſæ inteſtinorum plicas hoſpitantibus mercurialia adverſantur. In epilepſia, aliiſque morbis, ubi vermes infeſtant, quandoque feliciter adminiſtratur mercurius *. Quando ſanguis diatheſi pituitosâ inerti peccat, ad hujus attenuationem & ſubactionem ſæpiùs in uſum revocatur. Hinc in glandularum obſtructionibus recentioribus, ſicuti in ſtrumate, rachitide, hydrope, aliiſque morbis, mercurius nonnunquam fit ſummum remedium. Si humor lentus, motui ineptus, totius corporis habitum obſidens, reſolvendus ſit, uti in menſium ſuppreſſione quandoque accidit, aliqua mercurii præparatio purgantibus adjecta optimè prodeſt; ſic enim fortior excitabitur ſanguinis impetus, ejus compages citiùs attenuabitur, ita ut vaſa uterina latiùs extendantur: nihil enim aut lentorem efficaciùs tollit, aut vaſa obſtructa citiùs recludit quàm mercurius †. Quoties ſanguinis particulæ ex prava ſalſedine redundante fiunt anguloſæ & ſcabræ, ſuâque acrimoniâ vaſa tenella laceſſunt, irritant, rodunt, inflammant, atque ex hac cauſa tota cutis ſuperficies maculis deturpatur, toti-

* Bartholini hiſt. cent. 4. hiſtor. 7. † Friend emmenolog. edit. Pariſ. p. 117.

es ferè plus minuſve in auxilium advocandus eſt mercurius. Ejus uſum in lue venerea unuſquiſque novit. Ut gonorrhœa exſtirpetur, ad mercurium, tanquam unicum aſylum ſemper confugiunt empirici atque agyrtæ; certiſſimum utcunque eſt, gonorrhœas pertinaces abſque unico mercurii grano curari poſſe, & ſæpe curatas eſſe: illos itaque qui mercurialia ſine norma in omni hujus morbi ſtadio, uſque ad ſalivationem exhibent, imitari nefas erit. Quamdiu luis venereæ venenum tantùm ſanguinem humoreſque mucoſos aut pinguedinoſos occupaverit, tamdiu plura promittit mercurius; ſed è contrariò, poſtquam oſſa obſederit, hæcque carie depaſcuntur, horumque medulla tabo venereo inquinatur, ad malum expugnandum durior quærendus eſt cuneus. Horrendum iſtum morbum, plus quam humanum, rabiem nempe caninam, tum externâ, tum internâ mercurii applicatione, radicitus evellere medici nuper cum exitu felici tentârunt. Et quidem deſperandum non eſt, quin hujus alias vires in generis humani ſalutem ætas poſtera in lucem proferat.

LIII. Mercurialium ad ſputamen, in lue venerea aut ullo alio morbo eliciendum, uſum complures medicorum averſantur, ſymptomatis quippe perterriti, quæ hydrargyrum ineptè uſurpatum inducere ſolet; non tamen propterea culpandum id adminiculum eſt. Quis enim ignem criminabitur, unde præ ſervorum negligentia, baſilica domus conſumpta eſt? Crederem quidem, cæteris paribus, mitiorum mercurii præparatorum uſum internum ad ptyaliſmum concitandum, ejus uſui externo anteponendum eſſe; hæc enim faciliùs ſanguini commiſcentur, doſi refractiore ſcopum eundem attingunt, atque vaſa in oſcillationes frequentiores ex leni ſtimulo ſolicitando ſuam de corpore expulſionem parant, ſic ejecto medicamento, æger priſtinam recuperat ſanitatem; dum particulæ mercuriales, ponderoſæ, inertes, ex unguentis corpori affrictis in ſanguinem receptæ vaſis minoribus hærere opportunæ, ſtagnando, & vaſcula vicina comprimendo, paralyſin, alioſque effectus, diverſis in corporis locis diverſos, formidabiles creant. Neque mercurium dulcem ritè præparatum, copiâ debitâ aſſumptum, liquidis tenuioribus aquoſis dilutum, vaſa capillaria læſurum eſſe, metuendum. Mala horrenda quæ mercurii uſus externus quandoque parit apud auctores plurimos memorantur. Ut u-

num

num exemplum ex millenis in medium proferam; *Allen* * ſe quendam noviſſe narrat, qui ſcabie laborans curandi gratiâ cingulam mercurialem circa lumbos adhibuit; ei ſcil. partes omnes infra cingulam ſtupebant, & paralyticæ evadebant. Ubi itaque ptyaliſmus ad morbum aliquem depellendum in habitu corporis nidulantem, affectibus corporis externis abſentibus, inſtituendus eſt, præparata mercurii blandiora huc accerſenda. Quicquid enim rationi conſentaneum & experientiâ confirmatum, id pro dogmate veriſſimo habendum eſt.

LIV. Corollaria quædam ex dictis facilè intelliguntur. Quæſita ex dictis.

Cur, ſcil. aquoſa ſanguine leviora corpus refrigerant, & ingeſta graviora idem calefaciunt?

Unde pallor & debilitas ſalivantium?

Num acrimoniam ſanguinis demulceat & corrigat mercurius? & quomodo?

Quare ejus vires, quoad ſecretiones, ſunt penè adiaphoræ?

Cur hydropicis nonnunquam proſit?

Quomodo ptyaliſmus ſcorbuto, præſertim quando cauſam agnoſcit acidam, conferat?

Quomodo & quibus ſub conditionibus lue vénereâ affectis remedium divinum?

Et quamobrem in hoc morbo interdum nil valeat?

Cur vix quidquam agat in oſſa?

Cur phthiſicis venenum, febricitantibus noxium, & quibus ſunt pulmones admodum debiles malum?

Quare debilioribus, valdè macilentis, ætate confectis, paralyticis, aut nervorum imbecillitati vel anginæ obnoxiis ejus exhibitio periculoſa?

Cur inanis illorum metus ſit, qui uſum mercurii crudi, humoribus acidis in ventriculo aut inteſtinis præſentibus, ne ſolvatur, & corporis calore in ſublimatum corroſivum convertatur, prohibent?

* Synopſ. med. univerſ. pract. cap. de venen. mineral. Vide Mead on Poiſons, p. 118, 119, 120.

Inde etiam liquidò conſtat, mercurium, nobile atque ſalutiferum pharmacum eſſe ſub regimine prudentis medici, gladium verò in imperiti manu. Cautela igitur in illo ægrotis propinando non mediocris adhibenda eſt, ut ita non vitæ, ſed morbi fiat FINIS.